

Suscipere ergo dignemini de manu lingwe mee confessionum sacrificium vespertinum ¹⁴²⁾, quo informavi et excitavi ad serviendum maiestati vestre et oracione et laude ¹⁴³⁾ per omnia secula seculorum amen.

III. Nikolaus, Abt und Diakon der Kirche von Bari: Lob des Petrus de Vineia.

(ca. 1239—1249)

Commendacio Pe[tri] de Vineis ¹⁴⁴⁾.

Fideli et prudenti viro, quem constituit dominus imperator super familiam suam, ut det illi cibum iusticie in tempore oportuno ¹⁴⁵⁾, magistro Pe[tro] de Vinia, suo domino post cesarem metuendo, abbas Nicolaus Barensis ecclesie dyaconus introire in vineam Dei Sabaoth.

(1) Quibus laudibus referam vos, nescio in presenti, cum gloriosa dicta sunt de vobis hactenus competenter ^{a)}, optime magistrorum, princeps imperialis collegii philosophorum, secretarium et propiciatorium aureum miserorum, quod per Moysen famulum domini in tabernaculo federis legitur esse factum ¹⁴⁶⁾, sed de vestra gloria nec silere devocio patitur nec aliquid sterilis concipere cogitacio aut inerudita potest locucio parturire.

(2) Sicut enim exaltantur celi a terra, sic exaltata est ¹⁴⁷⁾ vestra sapiencia a sapiencia ceterorum, que attingit a fine usque ad finem et disposuit suaviter universa ¹⁴⁸⁾.

(3) Hanc quidem amastis et exquesistis a iuventute vestra et proposuistis eam uxorem vobis assumere ^{b)}, et facti estis forme illius vehementissimi amatores ¹⁴⁹⁾. Sane nil melius, nil honorabilius persone vestre ista potuit copulari, que a celo sursum usque ad terram deorsum omnia mirabiliter perscrutatur, quam Salomon in optione sibi a domino exhibita regnis et diviciis incomparabiliter legitur pretulisse ¹⁵⁰⁾.

(4) Hanc vobis nuptiali federe copulatam cognoscens et recognoscens scrutator et indagator tocius sapiencie imperator, qui tamquam David ^{c)}

a) compete Hs. b) assumere Hs. c) Dahinter adoscen gestrichen Hs.

¹⁴²⁾ Vgl. 4. Reg. 16, 15 u. öfter. ¹⁴³⁾ Vgl. HB. 107, 55—57. ¹⁴⁴⁾ f. 235'—236.

¹⁴⁵⁾ Matth. 24, 45. ¹⁴⁶⁾ Exod. 25 17. ¹⁴⁷⁾ Isai. 55, 9. ¹⁴⁸⁾ Sap. 8, 1; s. oben Nr. 2, 20. ¹⁴⁹⁾ Sap. 8, 2; vgl. HB. 2, 13—17. ¹⁵⁰⁾ 3. Reg. 3, 5—14.